

fratri suo *Girardo*, ut T. III. col. 1353. Adjectum est in Codice etiam sequentis *Sermonis XXVII.* initium ad verba: *sed indiscussum remansit.*

XXIX. fol. 169. operosus Codex exit in *Enchiridion sancti augustini Laurentio cuius eruditione delectatur cupiens illum esse sapientem scriptum totum diuinum.* Praeit Locus *Retract.* L. II. c. 63. Init: *Dici non potest dilectissime fili &c.* ut Edit. *Maur.* T. VI. col. 195. et a nobis saepius indicatum est.

## CCCCLXII.

U. 524 Codex membranaceus lat. Sec. XII. Folior. nunc 92. 4. min. perquam nitide exaratus, rubricis distinctus, et olim, ut praenotatur, *Joh. Fabri* eruditi Praefulis nostri litera quadra miniata inscribitur: *Incipiunt Sententiae Divinitatis. Doctrinae Theologicae Corporibus Sec. primum XI. Sententiarum nomen esse coepit, praeludentibus Anselmo Cantuar. et Hildeberto Cenoman.* Hinc nominati *Anselmus Laudun. Guilelmus de Campellis, Hugo S. Victoris, Robertus Pulvis Card. Petrus Pictav. Petrus Abailardus* problematicae methodi autor, et qui ceteris palmam eripuit *Petr. Lombardus* *ἀντινομιαν* *Magister Sententiarum* dictus. Atque hos omnes, quatenus typis ad nos pervenerunt, contuli, ut *Sententiis* nostris autorem reperirem, verum irrito conatu. Primum igitur adscribam *Capita*, quibus illae continentur. *De Deo.*

*De Qualitate creationis angelorum. De dignitate creationis diaboli. De hominis creatione. De voluntate dei. De peccato. De originali peccato. De actualibus peccatis. De prouidentia. De incarnatione domini. De fide spe et caritate. De caritate. De circumcisione,* quod ultimum inscriptione caret. Jam *Caput I.* ita incipit: *Prima origo rerum et causa omnium deus ante omnia eternaliter existens in omnibus inuariabiliter post omnia interminabiliter creauit mundum id est omnem creaturam. non secundum exemplar sed de materia sibi coeterna sicut arbitrantur philosophi dicentes nichil fieri de nichilo. Nam plato tria principia omnium asseruit deum uidelicet et exemplar quod uocauit ideam. tertium materiam quod uocauit ilen (ὄλον). Aristoteles duo principia posuit materiam et speciem. et tertium cum his quod operatorium dixit. Hos errores moyses in exordio sui sermonis destruxit dicens In principio creauit deus caelum et terram &c. Vides Autori nota esse veteris Philosophiae placita, quod si addas methodum, qua frequenter varias aliorum ad Objecta responsiones adferre contentus nihil ipse statuit, aut decedit, *Abailardi* tibi in mentem venire possit, haberique in hoc Codice Opus illius ab *Introductione ad Theologiam*, et *Theologia Christiana*, quae jam typis extant, diuersum. Extrema sunt: *Anima pro diuersis actionibus diuersa nomina sortitur. dum uiuificat corpus anima uocatur. dum vult animus est. dum scit mens**

*mens est. dum recolit memoria est. dum iudicat ratio est. dum spirat spiritus est. dum sentit sensus est.* Atque haec paene *κατα λέξιν* occurrunt L. I. *Etherii* et *Beati contra Elipandum* scripto Sec. VIII. *Bibl. PP. Lugd. T. XIII. p. 377.* Quemadmodum et *Cap. de dignit. creationis Diaboli* iisdem autoritatibus *Noster* utitur, quibus *Hildebertus Cenoman.* in *Tract. Theol.* edit. *Parif. 1708. c. 20. col. 1058.* Abruptum autem, vel interruptum faltem illum credo;

*Fol. 30.* hic enim *ἀνεπιγειαφως* orditur *Catechesis* quaedam *liturgica* huiusmodi: *Quare in Nocturnali officio dicimus primo. domine labia mea aperies? Ideo quia prodest quando in nocte conuenimus commendamus nos domino qui concludimus ora nostra cum multis uanis fabulis. &c.* A *Liturgicis* transitur ad *Quaesita de Lege, de Praeceptis, praecipue Decalogi, quae exponuntur, de Prophetia, de Poenitentia, atque haecenus sine rubricis; deinceps uero, De symonia. De elemosina. De clauibus ecclesie, ubi inter alia: A romanis igitur pontificibus vicariis petri clauis et curam pastorem habent, quicumque habent. Primi uero ad quos deriuata est, pontifices sunt, a pontificibus uero ad sacerdotes usque descendit. De legitimo Coniugio.* Prolixa tractatio plena *Canonibus Conciliorum et Decretis, quae etiam apud Reginonem, Burchardum et Iuonem* occurrunt. *De Excommunicatione, cui Rubricae, nescio quo consilio, adscripta est Quaestio: Utrum a-*

*nima christi susceptrix deitatis plenam omnino habeat noticiam. De accessu baptismatis. De Sacramento bapt. De Confirmationis dignitate. De Corpore domini, cui iterum adhaeret Quaestio: Si fames numeretur inter penas peccati? et alia quaedam Excerpta praecipue ex Augustino, in quibus Codex deficit, qui, si unum modo completatur Opus, partes certe mire confusas et trajectas habet. Interim nihil vetat posteriorem hanc partem pertinere ad Frontis Titulum five *Sententias Diuinitatis;* nam et *Magister Sententiarum* ea, quae de *Sacramentis* sunt, *Libro IV.* pertractat. In toto porro Codice regnat *Augustinus, et ab eo Ambrosius.* Autores recentissimos citari uideo *Rabanum, Hincmarum, Gregorium VII. Berengarium Turonens.* mortuum a. 1088. cuius *Revocationis in Concilio Rom. 1059. factae Formula, prout extat P. III. Decreti Dist. II. de Consecratione Parte 16. et in Iuonis Decreto P. II. c. 10.* habetur nobis *fol. 90.* ita tamen, ut inter uerba: *non solum sacramentum sed, et: in ueritate manibus sacerdotum &c.* omisum sit: *etiam uerum corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, et sensualiter non solum sacramento, sed, quod oscitantiae potius, quam fraudi tribuerim. Atque ex his conficitur, Partem saltem posteriorem Codicis, qua Jus Canonicum respicit, non ante Seculi XI. finem compilari potuisse. An uero Pars prior reipsa ad Abailardum pertineat, non nisi ex adcuratore con-**

1149

## D O G M A T I C I

1150

contentione Codicis cum vulgatis ejus Scriptis constare posset. Negat ille in *Apologia* edit. *Operum Paris. 1616. 4.* praefixa: reperi Librum aliquem a se scriptum, qui *Sententiarum* dicatur. Quomodo igitur *Bernardus Capitula* contra illum scripta et ad *Innocentium II.* missa ita concludere potuit: *Haec autem capitula partim in libro Theologiae Magistri Petri, partim in libro Sententiarum ejusdem, partim in libro, cui titulus est, Scito te ipsum, reperta sunt?* Citat *Abailardus* haec ipsa verba; ego vero illa in *Bernardi* edit. *Paris. 1690. T. II. col. 640.* et *seqq.* non inveni.

Egregium Codicem postice munuit mancum quidem Diploma, quo *Albertus II. Episcopus Frisingensis* e Comitib. de *Hohenberg a. 1350. honorabilem Virum Vlicum Pincern* — — in possessionem mittit *Capelle sancti Leonhardi per mortem honorabilis viri Nicolai Prepositi Monasterien.* vacantem. Fundaverat et dotaverat eam *Henricus I. Ep.* qui obiit a. 1137. et ad eam condi voluit. Vide *Meichelbeckii Hist. Frising. T. I. P. I. qui P. II. p. 535.* etiam *Donationes* recitat.

CCCCLXIII.

R. 1120 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 127. f. min. eleganter exaratus, literis initiorum auro, coloribusque variis, et rubricis distinctus, olimque Collegii S. J. Vienn. hunc titulum praefert: *Incipit prologus libri de sacramentis Codd. Theol. V. II. P. II.*

*tis. ab initio usque ad finem in unam seriem dispositis. Autor, qui tacetur, est Hugo de S. Victore Can. Reg. defunctus a. 1140. cui igitur Codex praesens aetate par esse possit. Initium Prologi est: Librum de sacramentis christianae fidei studio quorundam scribere compulsus sum. &c. Hic tu per Sacramenta non Sigilla novae legis gratiam conferentia, sed universa Religionis nostrae Mysteria, atque adeo totam paene Theologiam dogmaticam intellige, quam Hugo II. Libris complexus est. Hi Libri in Partes, hae vero in Capita abeunt. Liber I. qui solus hunc Codicem implet, Partibus XII. definitur, atque harum Elenchus continuo Prologum subsequitur. P. I. C. 1. breve Praefamen habet hujus exordii: Cum igitur de prima eruditione sacri eloquii, quae in historica constat lectione, compendiosum uolumen prius dictassem &c. Vides Autorem innuere Tractatum suum de Scripturis et Scriptoribus sacris, cui proinde noster de Sacramentis pone subire deberet. At vero Editores Operum Hugonis Rothomag. 1648. f. eos ita divulgare, ut ille quidem Tomum I. auspiceretur, hic autem Tomum III. seu postremum terminet. Contuli quodamtenus editionem mox memoratam cum Codice, vidique eam nostris e lectionibus perfici posse. Ita v. g. in illo Praefamine Edita in quo si fundamento, Codex in quo quasi fundamento. Ed. ut animus aliquid, Cod. ut animus legentis aliquid. Cap. 2. Ed. sive iis quae subsequuntur.*

C